VOTA, ET MOTIVA A PROCESSV ILLVSTRIS DOMNÆ ELISABETHIS SANZ DE LATRAS, COMITISSÆ DE CONTAMINA.

SVPER APPREHENSIONE COMItatus de Atarès in revocatione sententiæ litispendentiæ.

IN DEI nomine amen: Noverint vniversi, quod anno computato à Nativitate Domini millesimo sexcentesimo octuagesimo die verò, quæ computabatur vigesima sexta mensis Februarij, apud Civitatem Cæsaraugustæ, & in Camera Consilij Domini Iustitiæ Aragonum, intervenientibus in ea Illustribus Dominis Doctoribus Iosepho Francisco Moles, Augustino Estanga, & Gregorio Xulve, Locumtenentibus Ordinarijs Illustrissimi Domini Don Ludovici ab Exea & Talayero Militis, Maiestatis Dñi nostri Regis Consiliarij, ac Iustitiæ Aragonum, absentibus Illustribus Dominis Doctoribus Iosepho Ezmir & Casanate, & Ioanne Antonio de Tena & Bolea, etiam Locumtenentibus Ordinarijs, pro suspectis datis, & declaratis, & loco illorum præsentibus Dominis Doctoribus Francisco Iubilar, & Hieronymo Palacin Locumtenentibus Extraordinarijs coram quibus fuit positus Processus, & Causa intitulatus Domnæ Elisabethis Sanz de Latràs, & Camargo Comitissæ de Contamina, super Apprehensione in quo tres ex dictis Dominis Locumtenentibus concordes fuerunt voti, & opinionis: Quod tenetur & debet pronuntiari, & revocari pro-

nuntiationem factam sub die quinto mensis Novembris, anni millesimi sexcentesimi octuagesimi cum omnibus inde secutis respectu receptionis, propositionis oblatæ pro parte Curatoris Don Balthasaris Villalpando principalis Ioannis Michaelis de Otto, & Iosephi Catarecha Procuratorum, & cum his de eodem Consilio mandare fieri contenta in propositione in præsenti processu oblata pro parte Domnæ Elisabethis Sanz de Latràs, Comitissæ de Contamina in cuius locum sunt repositi Illustres Don Franciscus Sanz de Cortes, & Domna Maria Sanz de Latràs coniuges, Marchiones de Villaverde, Principales Francisci Didaci Panzano Procuratoris, respectu bonorum in fine appellitus præsentis Apprehensionis, tàm in primo, quàm secundo loco confrontatorum, demptis bonis designatis sub numeris septimo, & octavo primi loci, & dempta etiam iurisdictione Criminali Locorũ de Attarès, & Siesso, iuxta declarationem factam sub die primo mensis Aprilis, anni millesimi sexcentesimi sexagesimi noni, præstita priùs cautione forali reservatis iuribus reservari supplicantibus, neutram partium in expensis condemnando, & quoad alia non obstante revocatione supplicata, quæ locum non habet stare in pronuntiatis. Ex eo, & ad aliàs, provt in sententia fore arbitramur, & revocationem supplicatam, procedere decrevimus, quia cum ex Processu constet Don Balthasarem Sanz de Latràs & Villalpando, Mutum fuisse à natura, & ea de Causa Curatorem illi assignatum; Ex his necessario infertur ad successionem huius Maioratus iurisdictionem, anexam habentis admitti non posse, ad idque solidis, & vrgentissimis fundamentis movemur. In Iure enim receptum est, vt qui Mutus nascitur, is etiam Surdus à natura sit, non quia id semper necessum sit, absit, possunt enim discreta esse Mutitatis, & Surditatis vitia, sed cum hoc raro accidat, & vitia illa plerumquè inter se cohæreant iuxta interpretum assertiones, & iustiniani doctrinam, proindè dũ de contrario non constiterit probata solum Mutitate iuris præsumptione Surditas infertur, quę per indè est, àc si exactis resultasset,

ex

ex his præmiſsis in eam ſententiam ibimus, vt Mutus, & Surdus à natura. Succedere non poſsit in bonis Maioratus anexam iuriſdictionem habentibus, ſi in eo ſigna perſpicacis ingenij, atquè recti intellectus non appareant, quod ſanè omnium ferè Doctorum conſenſu receptum invenitur, cum igitur talium ſignorum ingenij perſpicacis, ne dū probatio, ſed & allegatio deficiat: imò ex proceſſu conſtet Dō Balthaſarem non potuiſſe regere, nec ſua bona adminiſtrare ob defectum incluſionis, excluſio illius neceſſario dimanat. Hocquè cuiquè probabitur ſi conſideretur ratio phyſica quipè intellectum eſſe, tanquam tabulam raſam, in qua nihil ſit pictum, nihilquè excultum, & omnem noſtram cognitionem, & intellectionem à ſenſu ortum habere teſtante Philoſopho: Qua propter neceſſé eſt ſecundum eundem, vt loquella, & auditu deficiēte intellectio etiam, & ſcientia deficiat, ſermo enim audivilis exiſtens Cauſa eſt diſciplinę, & ideò iure, ac merito, qui è linguis eſt, & auditu caret; licèt ſit homo imperfectus, tamen homo eſt; ſunt enim (vt ita loquamur) auditus & loquella animæ feneſtræ per quas operatio mentis intrat, ægreditur, & perficitur, & his deficientibus intellectus informis eſt, & quaſi in Carcerem compactus, quæ ratio ſi verum amamus negari, haud poteſt quin inſuat, etiam aliquantulum in intellectum intrinſecum, & faciat, vt regularitèr imperfectus, & rudis iudicetur. Hinc Papinianus Mutum, & Surdum ignoranti comparavit, & Pomponius docuit, quod qui Mutum, aut Furioſum, aut Infantem exhibet, non poteſt videri eius præſtare præſentiam, nemo enim ex eo genere præſens, ſatis apte appellari poteſt. Paulus iudicio carere dixit, & Iuſtinianus, nec libertatem, ſive vindicta, ſive alio modo ſervis imponere permiſſit: licèt ſit actus pietatis, & iam eius æuonulla certa, nec ſolemnia verba requireret manumiſsio: Hinc etiam apud Autores de Mutis, & Surdis loquentes fragmenta hæc ad compendium redacta reperiuntur. Impedimentum iſtud eſſe vniverſale excludens conſenſum præſumi, nihil intelligere, ſed eſſe tanquam hominem mortuum. Nullo modo

poſſe

posse exprimere conceptus mentis, quia non præsumitur habere mentem, vel intellectum. De communi opinione propter defectum consensus, non posse donare, nec aliter inter vivos contrahere, quia non potest intelligere substantiam, & naturam actus quem gerit (& quod est magis) nec fidei commissum à Muto, & Surdo relinqui posse, licèt nutu relinquatur validè ab eo, qui fari potest, quia substantia, & natura fideicommissi ab eo intelligi, non potest, & tandem, vt plurima alia testimonia omittamus, quæ passim quærenti venient ad manus necessarium esse in maxima rerum ignorantia versari, & quoad sciendum, & intelligendũ humanã, quasi Belluã esse: Et sanè mentis nõ præsumi, sed tanquam truncum, & hominem mortuum haberi ad instar furiosi mente capti. Verum cum in iure reperiatur Mutum, necnon Surdum, ita natum manumittere posse matrimonium, etiam contrahere contractus celebrare, qui consensu possunt expediri pro hærede gerere, ac Procuratorem constituere, nuper dicta, & absolutè prolata Magistrali distinctione temperantur, modificanturquè, sine qua difficilitèr iura in concordiam reduci possent. Aut enim intelligit, quod agit Mutus, & Surdus, aut non? Si vltimum nihil facere poterit, si primum contractus, qui consensu celebrantur Matrimonium, & alia adducta contrahere poterit, ea nimirum ratione quoniam, licèt regularitèr præsumatur iudicio carere, sed cum contrarium esse possit contrahere non prohibebitur, dummodo intelligere probetur, & probatione facta iuris præsumptio elidatur. Adest enim, vt Doctorum verbis vtamur notissimum inter alios homines, & Mutos, Surdosquè discrimen, alij sanè mentis præsumuntur, nisi probetur contrarium; Muti verò, ac Surdi à natura dementes præsumuntur: Vndè ad hoc, vt contrahere possint, & eorum dispositiones valeant debent probari ipsos intelligere, quod agunt iudicio, intellectuquè non carere, & vt vno verbo dicamus non est, qui hanc non adducat distinctionem, ac dicat requisitum istud ante omnia probandum, ad hoc, vt Muti, & Surdi aliqui per agere valeant, & illi met, qui
plu-

plurimum Mutis tribuunt,id libentiſsimè fatentur: quæ ſanè diſtinctio apertiſsimis Iuſtiniani elimentis, & Iure conſultorum reſponſis comprobatur,adeo,vt in hac re Legislatorem, ſeu ipſius interpretem habeamus. Ex hoc fonte dimanat in Mutis, & Surdis à natura ad hoc, vt puniri poſſint, neceſſarium eſſe probare pro parte Accuſatoris ipſos habere ſanum intellectum, & quæ agunt optimè intelligere, quia præſumuntur dementes, & quod non intelligant quid agant niſi contrarium provetur; Propterea pro eorum defenſione ſufficeret allegare, & probare ipſos eſſe Mutos, & Surdos à natura; & ſi ipſos intellectum habere non probaret accuſſator Iudex eos teneretur abſolvere.His accedit & inevitabiliter,quidem decretum Curationis,quia cum de foro,& notiſsima praxi Regni non poſsit dari Curator,niſi ſtultis, & mentecaptis præſumitur nominatus propter mentis privationem, quia Iudex cenſetur ex iuxta cauſa, & iuxta leges patrias decreviſſe. Proindè ſtante ſuis pedibus decreto incapacitas Iudicij videtur à Iudice, in vim antecedentis neceſſarij pronuntiata. Hæc officit de ſola Mutitate ex proceſſu apparere, & conſequentèr non ob carentiam mentis,ſed loquellæ tantùm decretum fuiſſe proviſum,quia propter ſolùm defectum loquellæ, ſano etiam intellectu manente nullus eſt, qui commodè rebus ſuis ſupereſſe poſsit. Reſpondetur enim Iudicem ad decreti proviſionem potuiſſe moveri ex ſolaMutitate,quia ex ea quiſquè commodè impeditur rebus ſuis ſupereſſe,& potuiſſe etiam abſquè vlla probationum repugnantia, quia ex Mutitate præſumitur Surditas,& ex his privatio mentis: Sed cum Indubio hæreamus,& neutrum horum conſtet iuris præſumptio cogit, vt ex ſecunda Cauſa,& ex privatione mentis iudicemus Curatorem decreviſſe, aliàs contra forales ſanctiones, & Regni,praxim verè inter locutus eſſet ſi ex prima Cauſa decretum providiſſet,quod ſanè eſſet contra Nobilem iuris præſumptionem,quæ facit vt cenſeamus Iudicem ex iuxtaCauſa,& abſquè fororum læſione pronuntiaſſe. Si ergo (vt ad ſuperiora reddeamus) regula eſt negativa reſpectu contrac-

tuum, & exceptioni, ac facultati contrahendi, ita demum locus apperiatur si probatum fuerit Mutum, & Surdum intellectum habere quanto magis illud ipsum in successione Maioratus, dicendum erit. Est enim ars artium iurisdictionis exercitium, & Populum conservatio ac regimen, nefasquè esset, & contra publicam vtilitatem si illa Muto, & Surdo demandarentur maximè in Regno, vbi Locorum Dominis suprema, & absoluta potestas impunita relinquitur. Nō obstat Mutum, & Surdum à natura intellectum habere, vt experientia docet, qua advertimus morbis istis laborantes, multa facere, nutibusque significare quibus ostendant sanè mentis esse, & intellectum habere. Raro enim illa videntur, & qui tradunt tanquam naturæ portenta mirantur, & ne fides vacilet addunt se de facie novisse. Præterea respondetur habere, vtiquè intellectum, & circa ea, quæ per visum præsertim præcipiuntur posse mente sana discurrere, sed nō habere, nec habere posse intellectum operativum circa penne infinita, quæ supra instinctum naturalem aliquantulum intellectus desiderant; qua propter furiosis, & Infantibus assimilantur, quia deficit operatio intellectus, qui super incognitis non operatur, ob defectum organi repræsentantis obiectum intellectui, quia licèt Mutus, & Surdus percipiant interiùs, quod ipsi agant, non tamen quod ex adverso agitur, ex quo non audiunt id de quo loquitur, nec ipsi facilitèr animi sensa paeriri valent, signorum sanè, ac Nutuum demonstratio falax testimonium est, & in re alicuius momenti, quis sodes erit interpres harum gesticulationum, & quis interpreti fidem habebit. Quibus de Causis intellectum carere Mutus dicitur, intellectu inquam intelligente, & cognoscente, & vt Philosophicè, loquamur potentia intellectiva actuata, quæ omnimodò necessaria est ad temperationem, & regimen Locorum sub Maioratu comprehensorum, & ad iurisdictionis exercitium; ex eisdem occurritur dicentibus, Mutum, & Surdum non præsumi intellectu carere, quia est animal rationale, & quia vitium loquellæ, & auditus non habet cum intellectu communionem, nam illud

ad ſummum influere poteſt reſpectu intellectus intrinſeci: Cæterum reſpectu intellectus operativi, nihil facit quo minùs dicamus intellectu carere ob defectum organi repræſentantis obiectum intellectui, aliàs Infans, etiam quia eſt animal rationale intellectum haberet: Et in prædictis termi nis intelligendi ſunt Doctores; nec invenietur (quod ſciamus) qui dixerit expreſſe præſumi intellectum operativum habere, non etiam adverſatur nullum in iure reperiri textum, qui Mutis prohibeat in Maioratu ſuccedere anexam iuriſdictionem habente. Multiplicitèr, namquè ſatis fit: in primis, quia propoſita hac dubitandi ratione contra Mutum deciditur, modo ſupra relato, ab interpretibus, & eam parui faciunt ipſi. Deindè cum nullam hucuſquè legem viderimus, quæ mentionem faciat de Maioratibus, ac primogenijs cum qualitatibus, quæ odie apud omnes ferè politioris vitæ gente ſervantur, quid mirum quod caſſus iſte nulla lege cabeatur: Interpretes autem ex contractibus ex iuriſdictione, & ex alijs actibus humanis qui Mutis prohibentur omnimoda rationum ſimilitudine (ſi non maiori) ducti, idem in ſucceſsione Maioratus iuriſdictionem anexam habentis tradiderunt; aliàs ſi ad rem omnem opus eſſet textum invenire per pauci caſſus eſſent, qui hoc tempore decre torio iudicio terminari poſſent. Præterea, nec in furioſo textus invenitur, qui ſucceſsionem ei demat, & tamen omnium ferè concors oppinio eſt furioſum in tali Maioratu ſuccedere non poſſe; id quod ratione firmatur, quia quælibet diſpoſitio, quæ in favorem alicuius fertur debet, ita intelligi, & temperari ſi ille habilis, & idoneus exiſtat, nec debet interpretari, vt adverſus bonum publicum vergat, quod in eo potiſsimum verſatur, vt Dignitates Maioratus, & dictiones ab habilibus, non autem ab inhabilibus vti furioſis, Mutiſquè, & Surdis gubernentur, & moderentur: nec qui primogenium ex Dignitate cum opidis, & iuriſdictione inſtituit cenſendus eſt de his perſonis cogitaſſe. Minoris momēti eſt, quod aſſeritur Mutum, Surdumquè per ſe non poſſe ſuccedere, per Curatorem verò aliter, & ſecùs eſſe quoniam reſpon-

pondetur eo loci non parum debiari à Germaniæ iuriſprudentiæ regulis receptiſsimis traditionibus,& ſine duce loqui. Ad quid enim perſpicacis ingenij ſigna deſiderantur ſi per CuratoremMutus,&Surdus ſuccedere poſſet.Vlteriùs ſi per Curatorem ad ſucceſsionem vocaretur, quomodò locum haberet, quod magno ſcribentium numero admiſſum legitur, quippè,quod ſi in ſucceſsione primogenituræ filius ſecundus habilis cum primogenito inhabili concurrat , ſecundogenitus erit præferendus. Deniquè furioſus expreſſim , adhuc per Curatorem à ſucceſsione huiuſmodi Maioratus removetur , & conſequentèr cum Mutus non intelligens æquiparetur furioſo circa ſubiectam materiam , de eo idem dicendũ erit: non obeſt tandem in Teſtamento DON PETRI SANZ DE LATRAS Maioratum inſtituentis, excludi à ſucceſsione furioſos,ac dementes Mutos vero,Surdoſquè non lege prohibitos , & quod ſi voluiſſet Teſtator expreſsiſſet.Quia reſpondetur omiſſum pro omiſſo haberi, ſi diverſa ratio,adſit,diverſum, verò eſſe,quando eadem ratio Militat,quòd à foriſtis non extenſio,ſed comprehenſio dicitur.Proindè cum in Mutis non intelligentibus,ratio eadem verſatur , ac in furioſis, & mentecaptis , quia in iure parificantur etiam vbi tractatur de ſucceſsione Maioratus , Muti in vim comprehenſionis litteralis etiam excluſi manebunt. Accedit,quia furioſi,& dementes duabus de Cauſias à Teſtatore excludi videntur, vel quia Matrimonium contrahere non poſſunt,& impeditur ſobolis , ac familiæ propagatio, vel quia non eſt ex vſu Populorum furioſi ſucceſsio , quia deeſſet qui illos gubernaret,quę omnia in Muto etiam procedunt: ſi Matrimonium inſpicimus,quia Muti,& Surdi cũ non habeant intellectum, provt in dubio præſumitur, illud contrahere non poterunt,quin ex ſignis,& coniecturis conſenſus elici poſsit,qui ſi colligatur , & ſigna ſufficientia dederint (quod tamen difficilimum eſſe Matrimonij materiam tractantes atteſtantur) tunc tales Muti Matrimonium celebrare poterunt : ergo dum non reſultat ex Proceſſu de conſenſu , & aptitudine ſufficienti ad Matrimonium celebran-

brandum, provt non constat in persona Don Balthasaris iste comprehensus erit, quoad Matrimonium ex identitate rationis in clausula exclusiva dementium, & furiosorum, & ad instar illorum habebitur. Si verò Populorum regimen attendamus, minùs dubijerit, comprehensionem adesse. Nam ratio omnimoda propter quàm furiosi, & dementes à successione Maioratuum iurisdictionem anexam habentium arcentur, nititur proculdubio quoniam administrationi, & iurisdictionis exerticio intendere nõ possunt, quæ ratio in Mutis etiam versatur, & consequenter sicuti dementes, & furiosi excluduntur, ita etiam in vim litteralis comprehensionis Muti intellectu operativo, & sufficienti carentes, provt in dubio præsumitur comprehensi censentur. Nec omittenda est alia eiusdem Testamenti clausula ad eundem finem colligans ad successionem admittens Ordinum Militarium equites quibus Matrimonium celebrare permittitur. Igitur cum de hac facultate non constet, vt expendimus nuper precisè exclusio convincitur. Recipitur verò propositio Illustrium Marchionum de Villaverde, quia cum in Aragonia non habeamus *neutram*, *& excludatur* propositio Curatoris Don Balthasaris, necessario venit recipienda prędicta propositio, absquè eo quòd opere pretium sit super alijs nostrum interponere iudicium, & aliàs attentis contentis, & Alij duo ex dictis Dominis Locumtenentibus concordes fuerunt voti, & oppinionis, quod attentis contentis tenetur, & debet pronuntiari, & non obstãte revocatione supplicata, quæ locum non habet starc in pronuntiatis. Ex eo, & aliàs confirmari deberi censemus Sententiam latam sub die quinta Novembris, anni millesimi sexcentesimi septuagesimi octavi, in favorem Don Balthasaris de Latràs. Quoniam (supposita eius descendentia legitima à Don Petro Sanz de Latràs huius Maioratus fundatore, tanquam ex potiori, ac prædilecta linea, vt latiùs in Motivis prædictæ Sententię continetur, super qua probabile dubium non occurrit, imò tanquam certa, & indubitata, iterum in Senàtu communi suffragio est habita) & vnicum revocationis fundamentum per Illustres

Marchiones de Villaverde propositum versatur, circa exceptionem Mutatis à natura oppositam Don Balthasari testibus à Curationis eius decreto munitam: Ex qua iuris præsumptione surditas à communitèr accidentibus infertur cum ergo Mutus, & Surdus à natura reperiatur, prætenditur incapacem, & inhabilem à iure in dubio præsumi ad actus humanos celebrandos, & maximè ad successionem prædicti Maioratus anexam iurisdictionem, & Dignitatem habentis. Isti enim Muti, vt asserunt ob defectum auditus, & loquellæ, rerum que humanarum in experiẽtiam furiosis, & Infantibus æquiparantur cum aliàs, non possint perfectè intelligere, nec voluntatem suam congruè, provt convenit explicare. Ideoquè quamvis natura provida soleat illorum sensum defectum suplere cum pro eius parte ingenij perspicacitas, non fuerit probata prævalere debet iuris præsumptio. Secundùm quàm mentecaptus, aut furiosus in effectu apparet, ac per consequens excludendus ex regulis Maioratus, & voluntate fundatoris, qui inter alios mentecaptos, ac furiosos exclusit. Quibus etiam addunt non tantum iuris præsumptione iudicio carere fuisse probatum, sed etiam ex petitione, & obtentione prædicti decreti Curationis, in quo expressa apparet confessio Curatoris ob defectum mutitatis à natura esse inhabilem, & incapacem ad regimen, & administrationem suorum bonorum non soleatque in Regno Curator dari, nisi stultis, & insensatis: Vndè supposita iudicis concessione super dementia, etiam ob defectum auditus, & loquellæ presumitur inter locutum cum aliter decretum non subsisteret, & foris, & observãtijs repugnaret, quod non est credendum, imò in casu iuxto, ac legitimo authoritatem suam iudicem impartisse. Verum his omnibus non obstantibus inclusio Don Balthasaris aperte fundatur, nam licèt fateamur exceptionem Mutitatis, & Surditatis à natura in Processu constare, probataquè Mutitate iuris præsumptione, & surditatem legitimè apparere à communitèr accidentibus, cum raro videamus Mutum à natura, qui Surdus non sit. Cæterum ex Mutitate, & Surditate à natura iu-

ris pręſumptionem aliam per viam regulæ oriri defectus iudicij operativi ad omnes actus humanos celebrandos, ac per conſequens ad ſucceſsionem iſtius Maioratus anexam iuriſdictionem, ac Dignitatem habentis neutiquam dicendum. Duplicem enim apud iuris Profeſſores inter ſe varios agnoſcimus opinionem. Prima tenet non præſumi Mutum, & Surdum à natura carere iudicio operativo, & ſufficienti cum ſit animal rationale, ſolumquè ei deficiant ſenſus exteriores auditus, & loquellæ, qui nihil commune habent cum potentia intellectus, ac plerumq; vt in plurimum, & regulariter Muti iſti ingenij ſunt perſpicacis, & accutiſsimi, quia natura ſuplet illorum defectum, vt docet experientia rerum magiſtra, omniaquè poſſe affirmant in quibus his duo ſenſus neceſſarij non ſint, vt in ſtipulatione Tutela, & Cura litis conteſtatione Teſtamenti factione iudicatura. Secunda tenet præſumi propter rerum humanarum in experientiam, quia intellectus eſt, tanquam tabula raſa, & quamvis per viſum odoratum, guſtum, & tactum aliqua percipiant, atamen deficientibus auditu, & loquella inſtrui, ac ratiocinari ſuper incognitis non poſſunt, nec conſenſum exprimere, ideoquè Infantibus, & furioſis æquiparantur, ſed fędere diſtinctionis componendas arbitramur, nam prima opponio loquitur de omnimoda, & totali carentia Iudicij operativi, quæ nullatenus præſumenda eſt in Mutis, & Surdis à natura ex rationibus de quibus ſupra quare omnes actus qui nutu, & ſignis expediri poſſunt à iure intelliguntur illis permiſsi per viam regulæ ſi ſigna dederint intellectus; non quia non poſſent intelligere, & ratione ſint expertes, ſed ſi per ea con ſenſum, ac voluntatem expreſſerint pro validitate actuum, & contractuum, quia aliàs nullius erunt valoris deficiente conſenſu quemadmodum enim in hominibus perfectis voce explicatur, & ſcriptis ita in Mutis, & Surdis nutu, & ſignis, fruſtraq; à iure admitterentur ad contractus iſtos celebrandos, ſi eos non ſupponeret habiles, & capaces, in nilloquè diſtarent à furioſis, & mentecaptis, ſecùs verò dicendum de iudicio partiali, & neceſſario ad actus in quibus

au-

auditu, & loquella præcisè opus est; quoniam ad illos celebrandos ius præsumit non habere intellectum sufficientem, & operativum, cum nec quod agitur possint perfectè intelligere, nec illorum voluntatem, à consensu modo legitimo explicare; in quo sensu venit intelligenda, & concilianda secunda oppinio, quæ ex casibus falentialibus regulam in contrarium ellicere connatur. His præ habitis, quæstio de qua in præsentiarum. Vtrùm Mutus, & Surdus à natura præsumatur habilis, & capax successionis Maioratus anexã iurisdictionẽ, & Dignitatẽ habentis, quando in eo liberalitèr solùm leguntur exclusi mẽtecapti, furiosi, Clerici, & Religiosi, & Matrimonium contrahentes cum fœminis sanguinis infectis decidenda venit affirmativè, quoniam, nequè à iure, nequè à regulis Maioratus, nequè à voluntate Testatoris reperitur exclusus à successione horum bonorum, quamvis habeant anexam iurisdictionem, & Dignitatem: A iure est notissimum nulla enim invenitur dispositio contraria, imò omnes Mutis, & Surdis, furiosis, & imperfectis favorabiles à regulis Maioratus, quia nulla etiam datur exclusiva Muti, & Surdi à natura, cum non reputetur indignus, nec aliàs inhabilis; & quamvis in lege partitarum loquente de Regni successione deferenda propinquis legantur illa verba: *Seyendo home para ello*: Ex quibus argumentum à similitudine Regni ad istos Maioratus deducatur, vt non admittantur inhabiles, quamvis iurisdictio non principalitèr, sed accesoriè, & in consequentiam successionis veniat: duplicitèr respondetur primo non Militare eandẽ rationẽ in Regni successione supremaq; iurisdictione, ac in particulari Maioratu vnius Ducatus, & Comitatus cum differat totiùs Regni moderatio, & iurisdictio, omniumquè sub dictorum interesse notissimum, ac publica vtilitas versetur. Secundò, quia inhabilitas debet esse talis, quæ in totum successorem inutilem reddat ad successionem, & iurisdictionis, ac Dignitatis administrationem, non verò illa, quæ partim reddit illum inhabilem ad exercitium, quamvis non omninò ex mente Ludouici Molinæ, quem ferè omnes

se-

ſequuntur. Ideoquè mentecaptus, ſeu furioſus ſecundum communem,& veriorem opinionem reperitur excluſus, licèt iuriſdictio, & Dignitas veniant in ſuccesſionis conſequentiam, tùm propter publicam vtilitatem, tùm etiam ob præſumptam Teſtatoris mentem, quia furioſus non eſt in hominum comertio,nec poteſt Matrimonium contrahere,ac familiæ explendorem conſervare,& augere.Cæterum, Mutus,& Surdus à natura regularitèr, vt diximus capax eſt ſuccesſionis horum bonorum, defectuſquè auditus, & loquellæ,non in totum reddit illum inhabilem ad exercitium iuriſdictionis, & Dignitatis, & in hominum comertio poteſt omnia expedire, quæ illi prohibita non ſint ob defectum vocis, & auditus Matrimonium contrahere, & ſucceſſionem propagare, quia natura provida ſupplet, provt in plurimum carentiam illorum ſenſum, hucuſquè opinionis ſectator oſtenditur ipſe Ludovicus Molina regulam amplectens,ac in neceſſarium antecedens Nobiliſsimam iuris præſumptionem intellectus operativi ad differentiam furioſi confirmans, eâquè tantùm limitans in caſu ſalenciali Surdi,& Muti evetis, ac obtuſi ingenij nihil intelligentis, nec ſigna aliqua rationis, voluntatis, aut conſenſus præſtantis, quia de hoc idem, quod de furioſo venit dicendum, cum in effectu furioſus ſit: Donec ergo non appareat de limitatione prævalet regula,ſecundùm quàm incluſio Don Balthaſaris liquido fundatur, non à voluntate Teſtatoris, quoniam in fundatione iſtius Maioratus minùs reperitur excluſus, tantùm enim fuit locutus de mentecapto furioſo Clerico, ac Religioſo; & Matrimonium contrahente cum fœmina ſanguinis infecti,& cum ſolos hos exceperit,reliquos omnes incluſit,quia ſi voluiſſet expreſsiſſet,quemadmodum in alijs Maioratibus ſolent illorum fundatores Surdos, & Mutos, aut alitèr imperfectos etiam excludere: Surdus verò,& Mutus à natura mentecaptus, non eſt, quia licèt quoad aliqua iudicio operativo, & ſufficienti carere ius præſumat, non verò in totum.Imò regularitèr ad contractus, & ſuccesſionis,vt diximus,in quibus voce,& auditu opus non eſt eum

habilem reputat cum ſignis voluntatem, & conſenſum poſſet exprimere, ac per conſequens in eo non militat eadem ratio, quæ in furioſo; corruitquè argumentum ex identitate in materia ſucceſsionis, ſuper qua principalitèr verſamur. Præterea cum verba in proprio naturali, & communi ſignificatu ſumenda ſint apud nos, quæ communi vſu receptum ſit, vt per hæc verba. *Loco furioſo* iile ſolùm talis reputetur, qui in totum mentem deficit, credendum non eſt, Mutum, & Surdum à natura per ea Teſtatorem comprehendere voluiſſe, tàm longè enim abeſt, vt mente deficiat in totum, quod omnia per agere ius illi permiſsit exceptis aliquibus, potentiam intellectivam, & operativam in eo prævidens, fruſtraquè eum admitteret ſi mente in totum deficere, vt furioſum præſumeret. Nec tandem relevat Curationis decretum exhibitum ob impedimentum loquellæ, Curatoriſquè confeſsio ſuper inhabilitate Don Balthaſaris ad regimen, & adminiſtrationem ſuorum bonorum, quia meritis proceſſus atentis facilisſimè reſpondetur. Tantùm enim fuit allegatum, & probatum impedimentum Mutitatis à natura, & quamvis iuris præſumptione, vt diximus Surditas inferatur, hæc duo impedimenta ad ſummum ex libelo reſultant, & licèt inhabilem Iudex declaraverit intelligendum venit, in eo ſenſu decretum, quia commodè, ac facilitèr rebus ſuis ob Mutitatem, & Surditatem ſupereſſe non poterat, non verò extendendum ad inhabilitatem potentiæ intellectivè, quæ naturalitèr ineſt Mutis, & Surdis à natura, donec contrarium ex actis probetur, minuſque Iudicem ſuper ea fuiſſe inter locutũ, cum alitèr auctoritatem ſuam iuxta obſervantiam Regni interponere nõ potuiſſet, quãvis enim fateamur in Regno non poſſet dari Curatorẽ alijs quàm ſtultis, & inſenſatis invitis, & nolentibus, quia Aragonenſes omninò liberam bonorum ſuorum habuit adminiſtrationem; ideoquè prodigis Curatores dandos non eſſe obſervantia fuerit receptum. Volentibus tamen, aut non reclamantibus quibuſlibet impeditis, ſecundùm veriorem opinionem cum non appareat foralis diſpoſitio contraria ius, ratio, equitaſquè

què hoc ſuadeant Curatores dari poſſe, ac decreta ſubſiſtere certiùs videtur. Vndè his omnibus perpenſis notiſsimam cenſemus Don Balthaſaris vocationem ad ſucceſsionem huius Comitatus, cùm in contrarium hæc exceptio probata non ſit,& quamvis fundamenta propoſita,omninò certa,ac ſolida non apparerent ſufficerent dubia, vt ceſſet illius excluſio, confirmariq; debeat Sententia concordi Dominorum placito in eius favorem lata. Reſpectu verò propoſitionis Egregiæ Domnæ Magdalenæ de Agullana, confirmatur etiam Sententia ex Motivis præſtitis in prima, & aliàs attentis contentis.

Sig † num mei Michaelis Bonifacij Serrano, Civis Civitatis Cæſarauguſtæ, & in ea domiciliati, authoritatequè Regia per totum Regnum Aragonum publici Notarij, ac Secretarij Conſilij Curiæ Illuſtriſsimi Domini Iuſtitiæ Aragonum, qui huiuſmodi Vota, & Motiva à libro dicti Conſilij de anno in principio calendato, vbi continuata exiſtunt extraxi, & cum eodē benè, & fidelitèr cōprobabi. Conſtat de emmēdatis, vbi legitur, es, t, Ig, b, n, Bell, Y, n, vebi, n, o, tres, t, e, a, t, s, in, ne, vbi, iu, a, s, cina, u, nihilo, e, i, præmag, m, e, tum, heè, his, u, m, vt de interlineatis, inter, dictiones, principales, & Franciſci, intellectu, & manente, publicum, & vergat, ac de ſuprapoſitiæ vbi legitur, ſupra, intellectus, & ſignavi.